



3984.

1656, 11 M.  
M.

2

Q. D. B. V.  
DISCURSUS POLITICUS  
DE

# LEGE POSITIVA,

*Quem*

Benevolo

INCLYTÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ  
PERMISSU

SUB PRÆSIDIO

Germani sui

2

## M. GOTTFRIDI ZAPFFII

DURINGI,

*publicè*

ventilandum sistet.

SALOMO ZAPFFIUS DURINGUS,

A. & R.

*Ad diem 22. Martii*

Anni

clō lōc LVI.

In Majori Principum Collegio.

---

LIPSIÆ,

LITERIS RITZSCHIANIS.

*G. M. O. S.*





DISQUISITIO POLITICA  
DE  
LIBERTATE POSITIVA

BY GOTTFRIED ZAPFEN  
PH.D.

SECTIO I. DE LIBERTATE

IN MUNICIPIO

LEIPZIG

1784







כ"ב

§. I.

**U**Ti non ultimum universæ societatis huma-  
næ fundamentum est lex illa universalis, quam pri-  
mus naturæ conditor ita creaturæ rationali indidit, ut  
quomodò singulis erga singulos sit vivendum, aper-  
tè constet; Ita non minus rectè dicunt illi, qui civi-  
les ac positivas leges, civilis societatis, Reipubl. scilicet, funda-  
mentum statuunt, ex quibus non minus, quomodò civiliter cui-  
libet ergà omnes vivendum, disertè docetur. Cum enim Res-  
publ. sit ordo, & consequenter, qui in hoc ordine esse volunt,  
ordinate vivere debeant; Hoc verò valdè difficile, propter in-  
ordinatos hominum mores, quid magis prodesse & necessari-  
um esse potest lege? quæ est ipsa forma & norma perfectissima,  
ut non malè observaverunt Hebræi quando istam **למורה** vo-  
cant vel à **למורה** quod est explorare & ordinare: vel ut alii malunt  
à **למורה** quod in Hiphil docere denotat, ut proinde non imme-  
ritò legem extollat *Conzen l. 5. Pol. c. 3. p. m. 275. Lex, inqviens,  
oculus est ac lux civitatis, eâ sublatâ tenebra omnia possidebunt & ope-  
râ tenebrarum h. e. maleficia: Martianus l. 2. de leg. ὁ νόμος πάν-  
των ἐστὶ βασιλεὺς, θεῶν τε καὶ ἀνθρώπων πραγμάτων δεῖ τε  
αὐτὸν πρῶτον τε καὶ εἶναι τῶν καλῶν καὶ τῶν ἀγαθῶν καὶ ἀρχον-  
τα καὶ ἡγεμόνα καὶ κατὰ τὸ νόμον τε εἶναι δικαίων καὶ ἀδίκων  
ἢ τῆ φύσει πολιτικῶν ζῶων πρῶτον μὲν ποιητέον ἀπαγο-  
ρευτικὸν τῶν ἰσχυρῶν & ποιητέον. & Conzen iterum: Quemadmodum ho-  
mines omnes atq; adeo creatura omnis naturâ suâ est in utramq; par-  
tem flexilis in malum & bonum cerea, ideoq; ut recte norma convenien-  
ter vivat lege opus est: Itâ quoque cum videamus frequentissimè à  
pluribus in Republ. peccari, opus est lege &c. Quod verò olim sine le-  
gibus constiterint Respubl. priscæ, ut refert Tacitus 3. Annal. & Ni-*

A 2

cepho-



cephorus Gregoras l. 1. Byzantine historia: Resp. idem Illi ideas fabri-  
cantur & ut Poëta ait, ἀεγοβατῶσι & q̄verunt Rempubl. aut fingunt,  
qvalem nulla etas aut vidit aut videbit: Paucis, ἐν τοῖς νόμοις ἐστὶν  
σωτηρία τῆς πόλεως, ait Philosoph. 1. Rhet. 4. De qvibus, si qvis du-  
bitare velit, testis adest experientia. Qvod enim Spartana Res-  
publ. per aliquot seculorum decursus inconcussa fuerit, causam  
reddit Thucydides, qvod εὐνομηθη, h. e. optimis legib9 administrata  
fuerit, his nimirum, qvas Lycurgus conscripserat, referentibus He-  
rodoto l. 1. Tacito 3. Annal Justino l. 3. & aliis.

§. 2. Leges ergo cum ad Rempubl. non utiles solum sint sed  
& necessariz, & verò Majestati incumbat de universa Reipublicæ  
salute esse sollicitam, non immerito qvoqve tribuetur eidem cir-  
cà eas absoluta, tam sancienti & exercendi, qvàm abolendi pote-  
stas: Merito enim, cui demandatus est finis concedenda etiam sunt ea,  
sine qvibus ad finem perveniri non potest, ait Grotius nonnullibi in tra-  
ctat. de jur. Maj. circ. sacr. Unde etiàm in universum eam ipsi assi-  
gnat Philosophus. 4. Pol. c. 14. Imò suscepta qvoqve est & per to-  
tum diem exercita ab omnibus, qvi ad Rerumpubl. clavos fue-  
runt constituti, uti non deessent testimonia, si fidem qvis nobis  
denegaret: Nec est qvod qvis dicat, eos etiàm leges qvandoqve  
tulisse, qvi tamen Majestate nunqvàm polluerunt, ut Lycurgus  
apud Lacedæmonios, de qvo tamen Justinus l. 2. ait; Qvod qvan-  
tumvis fratri suo Polybitæ Spartanorum Regi successisset, regnumqve  
sibi vindicare potuisset, tamen Charillo fratri filio, qvi natus posthumus  
fuerat, cum ad adultam etatem pervenisset, regnum summa fide resti-  
tuerit: Et qvidem hoc fecit non forsan in interregno, sed cum  
Charillus regnum jamdum possideret, post multa demùm iti-  
nera ad Minoem Cretæ Regem & Asiæ & Ægypti Reges, te-  
ste Ubbone Emmio de Rep. Laconicâ: Nam Respondendum est,  
qvod aliud sit leges scribere, aliud præscribere ut loquitur Conrin-  
gius disp. de LL. lib. 6. vel aliud est jubere, aliud jussa proponere:  
Lycurgus scripsit & proposuit, non vero præscripsit propriâ au-  
toritate, sed Auctoritate Charilli: Id qvod idem monet Cella-  
rius c. 8. Inst. Pol. lib. 2. §. 6. Longe aliud est legem ferre ac de lege fe-  
renda cogitare: seu, qvod idem est: Aliud auctoritate suâ efficere, ut  
aliquid



aliquid lex sit, aliud deligere & proponere aliquid, quod si sanciatur lex esse possit, prius enim ad Majestatis juram pertinet, posterius non item cum & iis qui à consiliis eorum, penes quos jubendi legem potestas, competat.

§. 3. Sed propius accedamus, ipsam rationem formalem nostræ legis quod concernit, Lex in genere ita definitur & à Philosopho. 10. Eth. c. ult. & ab aliis qui ipsum sequuntur, quod sit λόγος δύναμιν ἀναγκαστικὴν ἔχων: i. e. Oratio vim cogendi habens: Ad quæ verba, ne quis etiam pro lege reputet, quando Dominus v. g. dicit ad servum: Johannes accede: Quæ etiam est oratio vim cogendi habens, potest addi & à Philosopho ipso aliis in locis additum est, quod sit talis oratio quæ præscribit normam vivendi. Quam definitionem nunc, additis addendis, ad legem quoque positivam applicamus cum ipso Philosopho 1. Rhet. c. 1. h. m. Lex est Oratio, communi civitatis consensu definita, jubens, quo pacto unumquodque sit agendum: Ubi quidem solum videtur indigitari lex positiva sancita in Republ. populari, à quâ abstrahendo lex positiva in genere ita posset defini: Quod sit oratio, autoritate imperantium, ( ut ex superioribus constat ) præscribens, quomodo unumquodque sit agendum.

§. 4. Genus quod spectat, quæreret quis, quid per λόγον intelligamus? An internam, an verò externam orationem? Et videtur propemodum, quasi sit intelligenda externa, quia nimirum lex non latere debet in mente legislatoris, sed foras progredi & promulgari, ut observaturi illam audire & percipere possint: Promulgatio enim, ut multi statuunt, requiritur ad legem, & est de ejus essentia, vel ad minimum necessaria affectio, cum aliàs non obliget nec valeat lex ante terminum promulgationis, vel antequam ejus promulgatio sciri potuit: Nam qui secundum aliquam normam agere debet, oportet prius ejus notitiam possideat, nec transgreditur voluntatem principis subditus, cui ea nunquam est manifestata, & ubi nulla legis cognitio est, ibi nulla est prævaricatio: Heereboord volum. 1. disp. ex Philos. select. 42. th. 2. p. 160. Nihilominus tamen nos asserimus neutiquam posse intelligi externam orationem, & argumentamur pro nostrâ sententia: De quo-



cunq; rō obligare seu præcipere nullo modo potest dici illud nõ potest esse genus legis: Atqvi de oratione externâ &c. Ergò &c. Major probatione non indiget: Minor probatur, quia externa oratio, nihil est aliud quam pronuntiatio, at verò de hâc quis diceret obligare eam? Lex ergò consideratur vel (1.) in actu primo vel (2.) in actu secundo: In actu primo prorsus non dicit orationem externam: In secundo quatenus actu imperare & præscribere debet hominibus, vel eos informare, connotat orationem externam in obliquo, quia nimirum per illam imperat atq; jubet, sicut præceptor per sermonem externum informat discipulum, aliud vero est legem esse orationem ipsam externam, aliud legem connotare orationem externam, & ita in præsentî, cum quæratur quid sit lex, nullo modo potest intelligi oratio externa: Ut taceamus legem naturæ, quæ est lex in actu secundo, neque tamen externam orationem connotat.

§. 5. Cæterum cū antea dixerimus de legis naturâ esse ut vim obligandi habeat, siquidem propterea etiam à ligando dici legem dicit *Petrus August. Morla in empor. utr. jur. p. 1. tit. 1. n. 3.* & cum eo *Scholasticorum multi*, etiam legi positivæ aliqua competat, necesse est: Non tamen levis exurgit controversia, unde illa & qualis sit obligatio? Quod civiliter quidem obliget non vocatur in dubium, propter salutem publicam, quæ unumquemque concernit, ut ait *Gæddæus comment. ad leg. 6. num. 7. p. 151.* An vero naturaliter & in conscientia obliget est quæstio: h. e. *An ita obliget ut ejus transgressio ledat conscientiam?* Pro utraq; militatur ab Autoribus. Pro negativa est *Calvinus Lib. 4. Inst. c. 10. f. 5.* *Gerson de vit. spir. lect. 4.* *Ferdinandus Vasquius 1. Illustr. contr. c. 28. n. 11.* Affirmativa contra est *Thomæ l. 2. qv. 96. art. 4.* *Dominici Soti lib. 1. de just. & jur. quæst. 6. art. 4.* *Heereboord disp. ex Phil. select. vol. 1. disp. 42. th. 9. p. m. 161.* *Gregorii Tholozani 8. de Rep. c. 2 n. 5.* & quis omnes enumeret? Nos qui brevitati studemus, distingvimus inter obligationem quæ fit (1.) ἀμέσως & πρώτως h. e. ut vulgò vocant directam, quæ est cum lex aliqua ita obligat, ut ejus transgressio per se & non propter aliud demùm conscientiam attingat (2.) ἐμμέσως & δευτέρω seu indirecte quæ contra se habet, scilicet, quan-



quando ejus transgressio non lædit conscientiam, quia ipsa transgressa est, sed quatenus per hujus transgressionem, alia simul lex est violata: Quâ distinctione præsuppositâ dicimus cum posterioris sententiæ Patronis, omnes leges positivas justas obligare conscientiam, & pure quidem tales indirectè solùm, quatenus per earum transgressionem simul quis transgreditur aliam legem quæ directè quidem obligat, scilicet illam, quæ præcipit Magistratui esse obediendum: Quatenus igitur transgreditur legem à magistratu latam, simul transgreditur indirectè illam, magistratui esse obtemperandum, & dum ita obliquè transgreditur, obliquè etiam attingitur conscientia: Quorumcunque verò transgressio attingit conscientiam, illa obligant etiam conscientiam, ut patet ex suprâ dictis.

§. 6. Notanter dixi: *Purè positivas* indirectè solùm obligare conscientiam: Nam duplices sunt positivæ leges. Quædam *purè tales* h. e. quæ in se prorsus sunt indifferentes, & solum eatenus obligant, vel earum transgressio pœnam meretur, quatenus à magistratu servandæ fuerunt propositæ: *Aliæ mixtæ*: Quæ quidem etiam à magistratu feruntur, tamen fundamentum habent in ipsa lege divina vel naturali: De prioribus solùm est controversia, hæ enim, quod vel directè obligent, non adeò dubitatur.

§. 7. De Gentilibus alia est ratio, qui sæpè tales habuerunt leges, quæ in se & reverà fuerunt positivæ v. g. Illa Thebanorum, quâ cautum erat, ne quis ad honores magistratûs suscipiendos admitteretur, nisi à mercaturâ decem per annos abstinuisset 3. Pol. c. 5. & tamen ipsorum conscientiam directè obligaverunt eâ quidem de causa, quod ipsis non aliter constabat quàm ipsas esse à Diis Legumlatoribus inspiratas, sicut nos directè obligamur à lege Mosaicâ: Non aliter enim & illi Legislatores suarum legum posuerunt quilibet suum Deum vel Deam, per quos leges auctoritatem & vim suâ accipiebant, licet illi Dei fuerint falsi: Pompilius Numa nocturnos cum Deâ Ægeriâ congressus simulabat, & ibi leges sibi inspirari dicebat: Referente *Plutarcho in ejus vitâ*: Minas Ægyptiorum Mercurium, Minos Cretensis in speluncam secedens, Jovem: Lycurgus apud Lacedæmonios, Apollinem,  
apud



apud Cretenses, Jovem, Zamolxis apud Scythas, Vestam: Zoroaster apud Persas & Bactrianos Oromasiam, vel Oromasden vel Horomasin, ut alii aliter vocant: Charondas apud Carthagenenses Saturnum: Solon apud Athenienses, item Draco & Seleucus Minervam: Plato apud Magnesios & Siculos Apollinem & Jovem: Uti de his videri possunt *Marsilius Ficinus in comment. sup. Minoem Platonis pag. m. 1135. Caelius Rhodiginus l. 18. antiqv. lect. c. 19. Valerius Maximus l. 1. c. 3. Alexander ab Alex. l. 1. Genial. dier. c. 2. Livius, Herodotus, Plutarchus & alii.* Quos omnes citatos LL-latores imitatur Muhammed, qui legum suarum Autorem tradit Gabrielem: referente *Republ. Arab. p. 254. Circà hæc comment. Franc. Piccolomin. grad. 10. e. 22. expressè ait Hæc à LL-latoribus ita esse facta, ad comparandam legibus suis auctoritatem & obedientiam: Quia enim nemo tam impius & adest, qui Divino Numini morem gerere deneget, fieri non posse, quin populus audiens leges divinitus promulgatas, sanctè easdem servare studeat.* Unde etiam factum, ut Poëtæ dicerent, leges suas à Jove promanare & à Platone & Avicenna aliisq; legumlatores Divini duces appellarentur: & ipse *Aristot. 3. Pol. cum leges imperent, Deum imperare docet.*

§. 8. Notanter autem §. 5. dixi: Leges pure positivas justas indirecte obligare conscientiam: De injustis enim alia est ratio, & probè est observandum, vim legum valorem suum habere, ut dicitur, *ad aras usq;*: Si enim lex est injusta, tunc nullam vim obligandi habet, neq; ex se, quia nos loquimur de legibus purè positivis, quæ indifferentes sunt in se: Neque à Deo, quia Deus non præcepit, sed potius prohibuit, Magistratui in injustis esse obediendum, etiam si etiam minima sit injustitia: E. nullam:

§. 9. Ex quibus infimul patet, quid sentiendum sit de illâ quæstione: *An necessarium sit ad legem ut sit justa?* Quæ controversia agitur inter Periclem & Alcibiadem, penes Xenophontem: Nos dicimus, licet *Arist. 3. Pol. 7. dicat: In mala Republ. malas esse leges:* Licet etiam per experientiam pateat, multas leges extitisse malas, qualis v.g. erat illa apud Ephesios: *Nemo virtute excellens apud nos sit: Ut refert Cicero Tusc. 5. & aliorum alia:* Tamen ob suprâ dictam rationem dubitamus, an leges injustæ sint veræ leges, qua-



quatenus leges sumuntur non pro qualibuscunque imperatis & præceptis, sed pro illis, quæ veram obligandi vim habent: Tales autem eam non habent, ut non obscure etiam innuunt JCTi in canone: *Quod Impossibile nulla sit obligatio*: Ergò: Facit nobiscum Augustinus lib. 3. de liber. arb. *Lex mihi inquit non videtur quæ justa non fuerit*, Cicero 2. de leg. *Qui leges, inquit, injustas condidit, quidvis potius tulisse videntur, quam leges*, Reinh. König part. 2. *Theatr. Pol. cap. 1. n. 32.*

§. 10. *Dicis: In quonam autem consistit justitia legis?* Resp. Nulla lex est justa, quæ non conformis est primariis istis legibus, Divinæ & naturali: Ubi quidem notandum est, duplici modo conforme esse alicui aliquid (1.) *positive* quod idem dicit cum eo, vel solum ex ipso sequitur (2.) *Negative* quatenus non contrariatur & repugnat: Jam dicimus: Sufficere ad justam legem, si negativè sit istis conformis h. e. non contrarietur juribus & legibus primariis: Et hanc justitiam & rectitudinem habent omnes leges purè positivæ: Quam ipsam distinctionem eodem fermè modo tradit B. Gerhardus dec. 5. in Cent. quæst. Polit. qu. 8. *Ult, inquit, lex justa sit, debet vel (1.) Ex ipsis juris Divini & naturalis visceribus erui: (2.) De rebus nec Divinis nec naturali jure expressè prohibitis ferri*: Plures rationes vide de harum LL. obligatione apud Reinh. König l. c. *Geddeum de verborum significationibus ad leg. 6. num. 10. 11. seqq.*

§. 11. Porro, cum obligare præsupponat aliquod subjectum, quod obligetur vel obligari possit, quodnam illud sit, amplius dispiciendum est: Quidam distinguunt legem in Universalem & particularem, ita ut universalis se extendat ad omnes per universam Rempubl. Particularis contra: Alii contra negant & legem omnem debere esse communem toti communitati affirmant, & quidem in eo legem differre à mandato, quod illud sit particulare, lex universalis: Proq; ea sententiâ allegant JCTos §. 1. de LL. ubi dicitur: *Legem esse commune præceptum*: Quibus posterioribus etiam nos adsentimus: Ubi tamen monet Jesuita Conzen lib. 5. Pol. c. 7. *Disputationē hanc esse de nomine, non verò de re ipsa & si modum loquendi veterum spectemus, etiam eas posse vocari leges quæ vel*

B

ad



ad unum spectant: Ut lex Clodia de aqua & igne Ciceroni interdicens, de non recipiendo eo sub tecto: Lex Gabinia de imperio belli Pompejo demandando: Gellia & Cornelia de eodem Pompejo: & alia: Verum, etsi non negemus rem ipsam Conzenio, tamen LL. citatae hanc assertionem non defendunt, siquidem non est quaestio, an lex fieri possit de particulari materia seu objecto, quod probant LL. citatae, sed de subjecto obligationis, an possit esse lex, quae non omnes obliget & hoc negamus.

§. 12. Sed quaeris: Quando dicimus, legem obligare totam communitatem, quid per communitatem significemus? Anne totum Reipubl. ordinem, prout imperantes ipsos comprehendit, adeoque etiam Princeps teneatur legibus? An vero solum communitatem subditorum? De priori maxima oritur controversia: Nonnulli, ut *Dominicus Sotus lib. de Justit. & jur. qu. 6. art. 7. Heereboord l. c. th. 8. Franciscus Svaretz lib. 3. de leg. human. & civil. c. 35.* Distingunt inter vim *coactivam* per quam aliquis obligatur, ut transgressor factus ad poenam rapi possit, & *Directivam*, quando praecipit Lex non per interminationem poenae, sed eò, quod se rectae rationi & juri naturae congruere ostendat, adeoque ad observationem sui invitatur, non cogitur: Quoad hanc dicunt illi Autores Principem obligari, non vero quoad illam: Quos tamen alii ab utraque parte urgent: *Gabriel Vazquez. sup. 1. 2. Thom. qu. 96. art. 5. disp. 167.* Principem etiam coactivè dependere vult à legibus: Contra alii ut *D. Petrus Musaeus in peculiari disputatione de hac materia & directivam & coactivam negant*: Nos in hac prolixâ materia quae vel peculiarem meretur considerationem, quantum ad praesens, praesupponimus leges positivas alias esse *puras* alias *mixtas*, seu ex naturali vel Divina ortas, quas alii *conclusiones* vocant ex iis, tanquam principiis conclusas: Illae iterum sunt duplices: Quasdam ipse dedit princeps, quasdam vero jamtum ab antecessoribus in Republica latas invenit: Illis quas ipse tulit omninò tenetur, quodammodo, quatenus recta ratio jubet, ut id ipsum faciat, (praesupponimus autem illud quod in lege jubetur aliquid esse quod ab ipso fieri possit) quod ab aliis fieri expectat: Quod *Cato* monebat: *Feras legem quam*



quam ipse tuleris. Et facit in hoc nobiscum *Conzen 5. Pol. c. 20. §. 8.*  
p. 305. Istis vero quas invenit, non obligatur, nisi servandis iis ju-  
ramento, aut alio modo se obligaverit: Iis autem quæ sunt mixtæ  
tenetur, non quatenus sunt positivæ, sed quatenus fundamentum  
suum habent ex LL. primis.

§. 13. Unicum, antequam hinc abeamus lubet quærere: *An princeps* ( præsupponimus Majestaticè imperantem ) *obligatus sit legibus fundamentalibus, ita ut secundum eas agere teneatur?* Ubi quidem nulli dubitamus, eum teneri, posito quod in eas semel juraverit ut eas servet: Sed in hoc videtur cardo controversiæ verti: *An majestas quatenus talis possit teneri legibus*, seu ita ut tamen salva maneat summa potestas? Plurimi affirmant: Quidam distinguunt inter leges quæ per modum imperii Principi præscribuntur, & quæ per modum conventionis & contractus inter principem & subditos constituuntur: Illas dicunt majestati aliquid derogare, has verò non: Sed nos contra cum Bodino & veritate dicimus, apertam hoc involvere contradictionem, habere majestatem & teneri legibus quales quales illæ sint, quia majestas involvit summam & absolutam potestatem: Quare absolutam? Resp. ab omni regula & determinatione absolutam: Leges verò fundamentales restringunt imperantem in imperando imò coactivè obligant sub pœna degradationis: quod sanè est, non absolutum esse: Majestas ergo restricta legibus fundamentalibus, erit absoluta simul, & non absoluta: Et quamvis hæc omnia feliciter se solvisse putet *Reinh. König* contra *Bodinum* disputans *part. 1. Theatr. Pol. cap. 20. p. 302.* ex aliis quos citat magno numero, nobis tamen non per omnia satisfacere videtur.

§. 14. Sed quæris: Unde nobis sit potestas adeo coarctandi Majestatis naturam ad absolutam solùm potestatem? Suf-  
ficere enim ut sit supremus Princeps si secundum eas vivat: Re-  
spondemus: Si vivere secundum leges & debere vivere secun-  
dum eas potest stare cum Majestate, quilibet etiam inferior ma-  
gistratus, imò omnes & singuli subditi Majestate gaudebunt, si  
scilicet secundum suas leges libere vivunt: Quod tamen ab-  
surdum.

§. 15. Finis legum est *εὐταξία* & consequenter beatitudo  
civilis



civilis, de quo Reinb. König part. 2. theatr. Polit. cap. 1. num. 31. Conzen lib. 5. Pol. c. 3. §. 5. p. 277. videri possunt.

§. 16. Sequitur materia legum, seu de quibusnam constituenda fiat leges: Non enim de omnibus potest lex fieri v. g. de rebus æternis ac necessariis, nec de impossibilibus & illis quæ in nostra potestate non sunt: Materia igitur legum sunt contingencia & quidèmaximè illa quæ sæpe solent fieri: Unde Arist. 5. Eth. c. 14. Lex τὸ ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον λαμβάνει & alius ἐπὶ τὸ πλεῖστον ἐκ ἐκ ᾧ λόγος jus constitui oportet τὸ γὰρ ἀπαξ ἢ δις ᾧ λαμβάνουσιν οἱ νομοθέται.

§. 17. Hæc vero materia & objecta cum diversimodè, alia magis alia minus necessario se habeant ad salutem Reipubl. fit ut exinde ipsæ leges alia sint graviores & præstantiores, alia leviores & minus momentosæ: Nihilominus tamen omnes æqualiter obligant & observari debent, quia ab eodem jubentur magistratu, qui merito etiam de minimis debet esse sollicitus, ut rectè Conzen loc. cit. Quando miratur Germaniæ principum non singulorum modo in suis territoriis, sed universorum quoque in publicis Comitibus curam, sollicitudinem & vigilantiam, dum etiam de minimis prudentissimas tulerint leges: Ut videre sit in recessibus imperii Augustanis Anno 1530. 1551. 1559. Spiranis Anno 1570. Francofurtanis 1577. Von den Schaleksnarren/Pfeiffern/Trompetern/Spielteuten/Landsfahrern/Sengern und Reimsprechern: Tandem concludit: Nemo igitur parvi aestimet leges de rebus non magnis, quia enim ad principum curam pertinet omnium salus, de omnibus etiam leges sunt ferendæ. lib. 5. Pol. c. 3. §. 6. p. 275.

§. 18. Quam utilis autem est legum sanctio, tam necessaria quoque est earundem conservatio: Hinc disputatur: An melius sit legem scribere, & literis mandare, annon? Non desunt qui existimant melius servari, si non scribantur: Unde Lycurgus suas scribi prohibebat, ut melius in animo servarentur: Plutarchus. in Lyc. Utque hæc conservatio in memoria firmior esset Tuiscus Germanorum cantuunculis comprehensas in vicis cani voluit Avent. lib. 1. Chron. Nihilominus alii facile huic palmam præripientes, quan-



quantum ad hoc partim ob memoriam hominum labilem, partim ob morem scribendi raro non ab omnibus LLlatoribus observatum, huic tamen nolunt acquiescere, verum ad omnem legem requirunt scripturam, tanquam necessariam, contra quos tamen facit, quod apud optimos Dd. Politicos non scripturarum etiam fit mentio, Apud Arist. 6. Pol. c. 5. ubi expressè jubetur: *LLlator ponat νόμους ἐγγεγραμμένους καὶ ἀγεγραμμένους*: Alios ut taceamus.

§. 19. Cæterum legi nostræ quatuor accidere docent Auctores, quæ sunt (1.) Interpretatio (2.) Æquitas (3.) Dispensatio (4.) Abrogatio: De quibus singulis breviter: **Interpretationem** quod concernit, per eam non intelligimus talem, quæ nudè sensum verborum declarat, sed talem, quæ, nùm casus aliquis singularis sub eâ lege comprehendatur vel non, exponat: Qualem interpretationem edebat David, cum ederet panes sacerdotum: Salvator de operibus in Sabbatho peragendis: Et hanc faciunt iterum triplicem Dd. Politici (1.) *Authenticam* quæ quasi est novæ lex & Majestati competit soli: Ità enim Constantinus in Cod. de LL. & const. Prin. *Interpretationem nobis solis & oportet & licet inspicere* (2.) *Usualem* quæ ex pronuntiatione secundum illas leges desumitur: (3.) *Doctrinalem* quam edunt illi qui non pronuntiano, sed censendo legem exponunt. In hac interpretatione cavere debet, ne decidatur in extrema quæ sunt vel *συκοφαντία* seu fraudulenta verborum explicatio, vel superstitiosa eorum prout jacent observatio: Illâ utebatur Critias: Cum enim lex esset apud Athenienses, ne quis eorum quorum nomina in catalogo scripta erant, interficerentur, nisi re judicatâ demum, Theramenes accusatus idem petebat, quam exceptionem ita solvebat Critias: Ut deleret nomen ejus ex catalogo: Vide *Xenophontem*.

§. 20. Æquitatem quod attinet eam definit *Philosophus noster* quod sit *ἐπανόρθωμανόμος δικαίη ἢ ἐλλείπει διὰ καθόλου κατὰ νόμον*: Quæ correctio differt in hoc ab interpretatione quod ea dicat casum prorsus non comprehendi sub lege, indeque nec transgressorem, qui videtur transgressus esse, secundum statutam poenam esse judicandum: Æquitas vero dicit: Casum contineri quidem sub lege & idè huic vel illi transgressori competere



quoque definitam poenam, nisi adsit hæc vel illa peculiaris circumstantia, propter quam æquum sit transgressorem vel impunem dimittere vel poenam mitigare, vel etiam pro diversa conditione aggravare, sicut utriusque exempla occurrunt multa: De filio Zaleuci apud Locrenses, cui cum adulterium committeret, ideoque secundum leges uterque oculus foret effodiendus, quia erat viri tam bene promerentis de Republ. filius, unus solum eripiebatur: refer. *Valerio Max.* lib. 6. c. 5. Horatius minor occidens sororem propter meritum insignem de universâ Republ. Romanâ impunis dimittebatur, teste *Livio*: Econtra Gebhardo occidenti Principem Hollandiæ poena augebatur, cum tamen lex esset, occidentem esse decollandum, refer. *Thuano lib. 79. Hist.* In his igitur fundamentum habet effatum illud: *Summum jus summa sæpè injuria*: Quæ injuria seu ut alias vocatur ἀνεξέλεγκτος seu rigor est oppositum æquitatis, cui non minus etiam in defectu respondet nimia lenitas.

§. 21. **Dispensatio** sequitur, quando princeps non poscente quidem æquitate aliter pronunciat quam lex jubet & vel poenam prorsus remittit, vel alia tamen peculiariter de causa eam in leviolem mutat: Quisque enim in eo quod ipse præcepit etiam dispensare potest: Ex quibus, quomodo ab æquitate differat, facile patet: Ut autem dispensatio legitima sit, opus est, ut adsit causa & quidem legitima, cum aliàs dispensatio sit maxime iniqva: Uti de hac re videri potest *Conzen c. 16. lib. 5. Pol. §. 9.*

§. 22. **Supereft legum abrogatio** quam tamen ægrè & rarò suscipiendam esse pleriq; monent Politici propter periculum quod ex ea imminere potest & solet Reipubl. Mutationem juris enim sequitur mutatio morum, mutationem morum comitatur novitas quædam subitanea, hæc autem solet movere & conqvasare plerunq; totam Rempubl. Unde prudenter *Aristot. 2. Polit. Receptas*, ait, *leges non esse mutandas, imò, etiamsi aliquid incommodi habeant*: Inde refertur de Friderico Electore Saxonico, quotiens ad ipsum delatum fuerit aliquod exemplum mutationem allaturum eum pertinacissimè restitisse rationemq; subjecisse his verbis: *Es macht Bewegung*: Causa quidem motuum est in promptu,



tu, quia abrogatio nulla contingit nec contingere potest quæ non multis noceat, qui sane hoc ægrè ferunt & facile ad seditionem moventur. Hoc observantes multæ gentes gravissime animadverterunt in eos, qui abrogationem veterum novarumque introductionem meditentur, ut de Æginetis refert *Tholozanus*, 10. de *Rep. c. 6. n. 6.* Thuriis ipsum capite inserto in laqueum id petere cogebant, ut renuente populo illicet pœnas dare posset, annuente vero dimitteretur ut tradit *Diodorus lib. 12. Alexander ab Alex l. 6. Genial. dier. c. 14.* Idem in more positum erat Locrensis, ut etiam multis seculis nulla lex nova lata esset nec ferenda fuisset, nisi monoculo cuidam, alius quidam minatus esset, se esse ipsi etiam effoditurum unicum illum, licet sibi mutuo secundum legem effodertur alteruter, se tamen retinere alterum: Hoc veritus ille monoculus ausus est petere à Magistratu, ut lex fieret: Qui monoculo superstitem oculum perderet, ipsi ambos esse effodiendos, ut æquè cæcus fieret refer. *Demosth. in orat. cont. Timocr.* Lycurgus jurejurando obligavit sibi Spartanos, ne mutarent leges, donec rediret, simulans se ad oraculum Delphicum profecturum: Postmodum in Cretam profectus, nunquam rediit: *Ex Just. lib. 3.*

§. 23. Ex quibus tamen non concludere licet, nullas omnino leges esse mutandas: Quando enim sunt contra salutem Reipubl. valet canon: *Salus publica suprema lex esto*: Unde etiam non raro mutatas illas legimus: Ut à Solone leges Atheniensium, quas nimis rigide tulerat Draco: refer. *Plutarcho in vitâ Solonis*: A Regibus Angliæ refer. *Polydor. Virgilio lib. 11. Hist. Anglic. in vita Henrici I. & aliis*: Modo mutatio fiat cautè & circumspectè, unde *Bodini* judicium est *lib. 1. de Rep. c. 8. n. 427.* *Legem abrogandam esse sensim, non momento*, exemplo scilicet Romanorum, cum LL. XII. tabb. exolescere sensim, quam momento abrogare mallent. Ur. de conclusio hæc de re *Reinhardi König part. 2. theatr. polit. cap. 5. n. 26.* sit & nostræ disputationis conclusio: Legum abrogatio & mutatio fieri potest & debet, verum non leviter, sed urgente necessitate.

DEO GLORIA!

Magge-



Πάρεργα.

1. Non omne quod est rationale est homo.
2. Vehementer impingit Arriaga, dum disp. 3. in summul. sect. 1. n. 2. p. 20. hanc dicit esse definitionem physicam hominis: Homo est corpus & anima inter se unita, τὸ corpus dicit genus, quia conveniat etiam cum homine aliis animantibus.
3. Sunt qui dicunt in reduplicativis duas contradictorias posse esse simul falsas, v. g. Homo quatenus homo est albus, Homo quatenus homo est non albus, nos prius negamus: ad exemplum dicimus posteriorem esse veram.
4. Non implicat creaturam potuisse existere ab æterno.
5. Non repugnat duas causas totales posse influere in eundem numero effectum.
6. Nos retinemus illam metaphysicæ definitionem, quod sit scientia entis quatenus ens, quicquid contra differentiam objiciatur.

F I N I S.






X2615901


VD 77











3987.

1656, 11 M.  
M.

Q. D. B. V.  
DISCURSUS POLITICUS  
DE  
**LEGE POSITIVA,**  
*Quem*  
Benevolo  
INCLYTÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ  
PERMISSU  
SUB PRÆSIDIO  
Germani fui  
M. GOTTFRIDI ZAPFFII  
DURINGI,  
*publicè*  
ventilandum sistet.  
SALOMO ZAPFFIUS DURINGUS,  
A. & R.  
*Ad diem 22. Martii*  
Anni  
c1o 1oc LVI.  
In Majori Principum Collegio.  
LIPSIAE,  
LITERIS RITZSCHIANIS.

G. M. Va

